

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum  
in primis malas, concernit**

**Fecht, Johann**

**Durlaci, 1680**

LXXXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](#)

quam fieri non potest, ut aliquid sit, & tamen à D E O , qui intellectu gaudet, non cognoscatur. Dicit verò immane hoc & fœdissimum prodigium originem ex matre haud minus turpi: nihil in se bonum esse aut malum; malitiam omnem atque bonitatem ex voluntate D E I , tanquam normā radicali , dijudicari; de voluntate D E I nonnisi ex lege scriptā constare; legis verò cuiuslibet obligationem præsentis vitæ pomeria non excedere. Hæc ostenta illa sunt , ex quibus tales enascuntur filiæ! Quā verò de re occasione sexti & decimi argumenti contrarii amplius à nobis agetur. Hoc duntaxat adjicio, Robertum Parkerum, hominem Reformatum, cum vi absoluti, & res omnes causaliter antecedentis, decreti, non posset , nisi à voluntate DEI , tanquam mensurā, conceptu nostro primā atque ultimā , bonum malumque derivare, maluisse tamen ex aliâ, nescio unde arreptā, causā, passionibus scilicet infernalibus, tanta scelerā è manibus quasi damnatorum extorquere, quam eadem, quod conscientiæ ipsum horror prohibuit, illis vindicare, & peccata tamen esse, diffiteri. Quamquam stante illâ hypothesi maleficia quælibet à damnatis patrata, quantumlibet nefaria & scelerata, veri tamen generis peccata esse nequeunt. Tantum nempe potest conscientiæ stimulus, à naturâ nobis inditus , quem suppressore quidem malitiosè licet, nunquam exuere ; nam

*Naturam expellas furia, tamen usque recurrit.*

LXXXVII. Remanet ergo , rejectis his opinionibus, ceu falsis , quinta eaque vera sententia : peccaturos utique in inferno actualiter damnatos & D E U M blasphematos: peccatum etiam hoc verum fore proprièque dictum peccatum.

LXXXIX. Hanc thesin viginti illa argumenta, quæ in paragraplos à XLI. ad LXI. conjecta & à plerisque , quæ oboriri circa illa poterant, dubiis, ut prolixiori labore hoc loco supersedere possemus, vindicata sunt, validissimè probant. Nunc verò, ne quidquam desiderari possit, breviorem contra alias quascunque exceptiones defensionem adjiciemus.

LXXXIX. Fatemur autem , quoad argumentum I. locum Psalmi LXXIV. 23. qui in hebræo ita legitur: לְפָנֶיךָ תִשְׁכַּח אֵל שָׁוֹן שָׁמָךְ עַל־לְבָדָתְךָ תִּמְרַח P tis